TRACTATUS

de

# VIRTUTE REMEDIORUM SPECIFICA

## DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

quam

CONSENSU ET AUCTORITATE

**MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS**

AC DIRECTORIS

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS

DOMINI DECANI

nec non

**CLARISSIMORUM DOMINORUM PROFESSORUM**

pro

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS CONSEQUENDIS

IN ALMA AC CELEBERRIMA

**UNIVERSITATE HUNGARICA**

*PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI*

submittit

**BERNHARDUS LEO**

**Hungarus Pestiensis.**

---

*In theses adnexas disputabitur in aedibus Universitatis die Martii 1844.*

---

**PESTINI 1844.**

Typis Landerer et Heckenast.

Versengve buzgunk a' tökély felé;
Nyomozzuk utját! — —

*Horváth Czyrill.*

*Der*

stets bewaehrten

# MUTTERLIEBE

widmet diese Blätter

der

***dankbarste Sohn.***

*

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/b22388679

# INTRODUCTIO.

---

Latent sub nomine *remedii specifici* opiniones tam diversae medicorum, imo tam contrariae definitiones, et sane influxu magno in praxim pollentes, ut revera opus sit ante omnia sensum multifarium sub quo hocce vocabulum usu et abusu sumitur enumerare et adumbrare. Communissime intelligitur sub titulo *Specifici* actio propria alicuius medicaminis; sed hoc sensu non solum quodvis pharmacum est specificum (nam agit modo proprio et individuali in corpus humanum) sed etiam quodcunque nutrimentum, quia neque hoc destituitur influxu proprio in individua, imo generationes et nationes. Nec singulus applicationis casus remedii cuiusdam nomen *Specifici* recusare videtur, nam pro individualitate subiecti eius actio multum variari observatur.

Saepius autem adhibetur haecce denominatio pro methodo medendi empirica, libera, nullis legibus physiologicis adstricta, nullisve pathologicis dilucidanda. Hanc methodum praeexistentia sua genitricem esse omnium aliarum rationalium, quivis perspicit, qui perpendit prius notum fuisse, quod remedium certum efficax sit in morbo certo et serius tantum innotuisse, qua ratione agat; ideo apud antiquos multa fuere *Specifica,* quae nobis tonica, alterantia resolventia audiunt. Jam *Boyle* et alii praeter hancce classem specificorum alias etiam indagabant divisione earundem:

1) In specifica morborum et specifica humorum.
2) In specifica qualitativa et localia.

Hodiedum quatuor vigent praecipuae theoriae circa *actionem specificam* quae fere sequentes esse videntur:

*I. Specificum sensu nosologico id est : remedium agit in morbum certum — Specifica morborum.*

*II. Sensu locali seu: medicamen quodpiam agit in organon corporis distinctum — Specifica locorum.*

*III. Sensu symptomatico: remedia distincta provocant symptomata quaedam sanationi inservientia — Specifica symptomatum.*

*IV. Sensu denique individuali scilicet: actioni remediorum caracter impertitur nonnunquam ab individuo eius receptivitate vel idiosyncrasia — Specifica individuorum.*

Genera haec specificorum singillatim contemplari minime superfluum mihi videtur.

## *Specifica morborum.*

Haec interpretatio morbis magis quam medicamentis attribuit specificam indolem, et supponit quasi identitatem morborum certorum in individuis diversis quoad symptomata, causas excitantes etc. similium. Sed quia in morbis omnibus principium quodpiam fundamentale considerat, ideo duplex evadit sub titulo *theoriae pathologico idealis et pathologico realis.*

Prior defendit morbum esse individuum sui generis, ens quodam modo parasiticum, quod in destructionem corporis vivi nititur, et vitam ab organismo non dependentem ducit. Haec ergo theoria non adeo admittit remedium specificum quam methodum specificam et quidem duplicem: *a)* Maturationem morbi usque ad eius interitum naturalem (Methodus physiatrica); *b)* exstinctionem eius, sive immediate per exstirpationem, cauterisationem; sive mediatim per roborationem corporis, vel violentam eius concussionem emeticis diaphoreticis, seu psychicis *(Meth. abortiva seu ectrotica).*

Theoria altera more chemiae analyticae procedit et morbos in status eorundem fundamentales decomponens, contra hos qua causas proximas actionem medicaminum dirigit. Supponit ergo medicamina esse efficacia ad tollenda morborum elementa, quodve reapse contingere videre est:

1) In morbis illis ubi parasita vera gignuntur, inde Anthelmintica, Antiphthiniaca, Antipsorica.

2) In morbis contagio vel miasmate dissipatis: Antivariolosa, Antiscarlatinosa, etc.; Antityphosa, Antipyretica etc.

3) In Pseuodorganisationibus indolis eminenter parasyticae: Anticancrosa, Antituberculosa etc.

4) In morbis quorum fundamentum in mixtione humorum alterata consistere dicitur uti in fermentatione acida, saccharina putrida; in praevalente productione adipis, fibrinae, albuminis, principii utrici etc. ubi tamen non praetervidendum est, chemicam decompositionem humoris vivi, et organismi vivi nequaquam locum habere posse. — Huc referuntur: Antacida, Antiseptica, Antidiabetica, Antartritica: Lythontriptica, Antiscrophulosa, Antichlorotica, Antibiliosa, Antihectica, Antiphlogistica, Antirheumatica etc. etc.

Sed quo magis recedit causa proxima a statu discratico certo, quo magis differt processus morbosus a generatione parasitorum, eo difficilius sane est hac ratione effectum remediorum definiendi, uti hoc satis demonstrant Antipasmodica, Antiepileptica, Antasthmatica, Anticolica, Antihysterica, Antihypochondriaca, Antimaniaca, Antiodontalgica etc. Tali in casu indicatio specifica inducit nefandam illam superstitionem medicorum, quae miseris formulis acquiescens, omni therapiae rationali valedicit.

## *Specifica localia.*

Nec altera haecce ratio actionem sp cificam remediorum contemplandi refertur tam stricte ad remedia ipsa quam ad organa, supponendo horum in omnibus individuis aequalem

structuram mixtionem, functionemve et inde redundantem in similibus organis aequalem receptivitatem erga pharmaca determinata uti erga alios influxus distinctos. Antiquissimis iam temporibus hunc modum ratiocinii ast nimis rudem apud medicos floruisse, notum est; nam divisio sat incomplete, secundum regiones corporis et organorum complexus instituebatur; quod remedia Cephalica, Ophtalmica, Otica, Stomatica, Pectoralia omnino adprobant. Praecunte sagacissimo *Vogt* hodiedum maxime placet divisio remediorum quoad specificam eorum in organa et systemata singula virtutem, quae postulatis pathologiae et therapiae magis satisfacit, et quam summis capitibus hic exhibere iuvabit.

I. Specifica in *Systema nervorum* generatim — *Nervina. a)* Excitando — Nervina volatilia; *b)* Tonice — Nervino-tonica (Chinin); *c)* Deprimendo — Narcotica; *d)* Alterando — Alterantia et Antispasmodica.

1) In *Cerebrum;* excitando: Phosphorus, Ammonia, Moschus, Vina; deprimendo: Opium, et alia narcotica; alterando: Cuprum, Zincum, Tartarus emeticus.

2) In *Medullam spinalem,* excitando: Phosphorus, Oleum Dippeli, Camphora; deprimendo: Nicotiana; alterando: Cuprum, Zincum, Valeriana etc. Antispasmodica; Concutiendo et mox debilitando: Nux vomica Colocynthides.

3) In *Systema gangliare,* stimulando: Drastica; alterando: Ipecacuanha, Zincum, Asa foetida, Valeriana, Chamomilla, et alia antispasmodica; tonice: Chininum.

4) In *Nervos et Plexus eorum singulos: a)* in *nervum opticum:* Pulsatilla; *b)* in *nervos ciliares:* Belladonna, Stramonium, Hyoscyamus etc.; *c)* in *nervum vagum:* eadem, nec non Nicotiana, Lactuca, Ipecacuanha; *d)* in *plexum cardiacum:* Digitalis, Nicotiana; *e)* in *plexum gastricum:* Nauseosa, Zincum, Bismuthum; *f)* in *plexum hepathicum:* Mercurialia.

II. In *systema vasorum generatim*, et quidem: *a)* stimulando: excitantia calefacientia; *b)* deprimendo: Antiphlogistica, Temperantia, Diluentia, et praeparata Acidi borussici; *c)* Alterando: Resolventia; *d)* tonice: Acida et ferrum.

1) In *Cor.* Digitalis, Lactuca, Nicotiana, Colchicum, Veratrina.

2) In *Arterias:* Oxygenium, Chlorina, Acida, oxygenata.

3) In *Venas:* Sulphur, Aloë, Sales, Resolventia generatim et Acida.

4) In *Vasa Capillaria:* Acria, praesertim Arnica, quaedam aethereo-oleosa, resorbendo resolventia; tonice astringentia et stiptica.

5) In *Systema lymphaticum et Glandulas:* Jodum, Bromum, Chlorina, Alcalia, Mercurius, Antimonium, Cicuta, Quaiacum; contrario autem modo: Farinosa.

III. In *Organa respirationis:* Expectorantia et quaedam Tonica uti Lichen islandicus, Tussilago farfara; nec non qui tussim excitant vapores acidi et chlorini.

IV. In *Systema Digestionis et Assimilationis primae:* Aromatica, Digestiva, Resolventia, Amara.

1) In *Linguam:* Veratrina, Pyretrum, Pimpinella; Aromatica, Nauseosa et quidquid sensum gustus afficit.

2) In *Glandulas salivales:* Mercurius, Aurum, Chlorina, Jodum, Pimpinella, Pyrethrum et Acria radentia alia.

3) In *Pharingem:* eadem et Belladonna, Stramonium etc. etc.

4) In *Ventriculum,* excitando: Aromata et parvae doses omnium localiter irritantium, uti Jodi, Arsenici, Silicinae, Acidorum; compescendo: Antemetica; Acidum carbonicum, Opium et quaedam aethereo oleosa; tonice: Stomachica; secretionem adaugenda: Resolventia, praesertim autem Digestiva; alterando: Nauseosa, Emetica.

5) In *Intestina:* Digestiva, Stomachica, Carminativa, Ecooprotica; specciatim autem in intestina crassa: Drastica.

6) In *Hepar:* multa Resolventia, eminenter: Rheum, Aloë, Chelidonium, Mercurius, Alcalina, Acida vegetabilia, Pinguia.

7) In *Splen:* China.

8) In *Glandulam Pancreaticam:* Mercurius.

V. In *Systema Uropöeticum:* Diuretica, praesertim Resinosa et Acria; plurimi sales, nonnulla acida (Ac. Bensoicum et Carbonicum) quaedam Adstringentia.

VI. In *Systema genitale.*

1) *Generatim:* Aphrodisiaca et Antaphrodisiaca.

2) In *Systema uterinum a) abortiva:* Sabina, Aloë, Secale cornutum, Alcalina, Saponacea, et Emetica; *b) emmenagoga:* priora cum aliis quibusdam Balsamicis et Aethereo-oleosis, uti: Melissa, Chamomilla, Valeriana, Crocus; ex salibus; Borax, et sal ammoniacus; *e) Antimetrorhagica;* Cinnamomum, Ipecacuanha, Opium Secale cornutum; *d) galactica:* Nutrientia, dein Foeniculum, Anethum et Aromata alia.

VII. In *Membranas generatim:* Resolventia, Evacuantia, Retinentia, Relaxantia, Lubricantia, etc.

1) In *cutem externam:* Diaphoretica et Antidiaphoretica; Fxanthopoea: Rhus, Aconitum, Veratrum, Copaiva, Cubeba; denique Cosmetica.

2) In *membranas mucosas:* Resolventia, Inscindentia, Lubricantia.

3) In *membranas serosas:* Resorbentia, et sic dieta, Hydragoga, uti: Digitalis, Scylla etc.

4) In *membranas fibrosas:* Antharthrithica et Antirheumatica: Quaiacum, Colchicum, Mezereum etc.; nec non Antisyphilitica.

VIII. In *Organa motoria.*

1) In *Musculos:* Tonica, Analeptica, Antispasmodica, Antirheumatica, Relaxantia.

2) In *Ossa:* Acidum phosphoricnm, Calx, Assa foetida. Rubia.

---

Sat clare patebit, hanc etiam quamvis magis perfecta sit antiquioribus, classificationem multis obnoxiam esse vitiis; nam unum idemque pharmacon pluribus in classibus ocurrit, et quia ad lubitum experientiamque singuli medici practici mutari deberet. Theoria ergo specifico-localis perquam arbitraria, insufficiens et incerta est pro praxi instituenda, licet non careat dignitate scientifica. Nostrum intererit, in pagellis sequentibus simpliciorem sistendi divisionem remediorum specificorum, nequaqum quidem completam, sed legibus physiologico-pathologicis stricte accommodatam.

## *Specifica symptomatum.*

Duplici respectu et quidem tam theoretico quam practico, haec nobis consideranda venit doctrina. Theoretico respectu non multum abludere videtur a prius explanata ratione virtutem specificam definiendi; nam haecce solum enunciat assertum, quod a medicamento determinato symptomata distincta provocentur: scimus autem symptomata nequaquam entia sui iuris et propriae existentiae esse, sed diversis organis, in quae actio medicaminis principaliter directa est, in acceptis referri debere. Qui vero specificam naturam non in organis, sed in remediis latere affirmant, se Homoeopathiae asseclas profitentur.

Applicatione practica autem magnam discrepantiam offert haec consideratio *symptomatico-specifica.* Veteres enim jam distinxerant remedia symptomatica quaedam, uti: Anodyna, Inebriantia, Errhina, Bechica, Hydragoga, Hypnotica etc. quae pro necessitate ad provocanda certa symptomata sanationi inservientia adhibuere, quin ideo curam ratio-

nalem recusassent. Sic et hodie Pathologia etsi magis exculta, cura symptomatica non raro adhibere potest et debet, licet medici scriptores praxim non exercentes eam omni in casu damnaverint et e cura radicali in libris somniantur, quae, uti cuivis practico notum, non semper inveniri potest, saepissime autem cura symptomatica suffulcienda omnino est. Quis medicorum vellet praxim instituere sine Hypnoticis, Anodynis, sine Antispasticis et reliqua caterva remediorum, quae symptoma gravissimum tollendo, morbi maximum periculum nonnunquam amovere queunt? Sive haec dicamus *Contraria, Similia* vel *Aliena* — idem est; tradamus potius hanc litem inanemque Homoeopathiae, quae doctrina fidei in vim magicam remediorum, quassatione trituque suscitatam superstructa, interitum sibi ipsamet parat.

## *Specifica individualia.*

Phoenomenon receptivitatis diversae erga distincta remedia in individuis, nationibus, classibus hominum imo et animalium hucusque sat imperfecte sub titulo *idiosyncrasiae* complectebatur et a medicis iusto magis negligitur. Profundius enim inquirentes videmus *idiosyncrasiam* consistere in propria ne dicam qualitativa receptivitate individuorum erga influxus externos, quae se non tantum qua antipathia, sed etiam qua sympathia, imo negative qua defectus receptivitatis in singulis individuis manifestat, et diversis momentis aetiologicis tam externis quam internis originem debet. Studium *idiosyncrasiae* dignitatis maximae esse et influxu in medicinam practicam non spernendo pollere, nemo negabit, qui observaverit egregiam vim minimarum saepe dosium unius eiusdemque pharmaci in uno et inefficaciam plane maximarum in altero individuo, et qui sequelas inde in praxi instituenda graves nequaquam praeterviderit. Denique docemur, etiam hic magis de specifica indole (receptivitate) individuorum, quam pharmacorum agi, et concludimus quod in medicamentis

non alia sit quaerenda natura, ac in aliis corporibus ab organismo differentibus; non minus patet eorum actionem esse potius reactionem organismi, eorum efficaciam dependere a maiori vel minori singuli remedii respectu corporis heterogenitate et inde redundante turba functionum organicarum, quoad quantitatem et qualitatem diversa.

Superfluam non censui hanc explanationem idearum, quas sub nomine *remedii specifici* concipere solent medici, ne lector benevolus praeoccupata mente se accingat lustrationi paginarum sequentium, quae sistunt divisionem non ineptam remediorum specificorum, legibus physiologico-pathologicis strictissime innixam, nec non auctoritate praeclarae Scholiae Vindobonensis suffultam.

---

# DE VIRTUTE REMEDIORUM SPECIFICA.

---

## SCHEMA.

*CLASSIS PRIMA.*

**Specifica in Vitam vegetationis.**

*I. Specifica ad opus Assimilationis primae:*

1) Emetica.
2) Catartica.
3) Anticatartica.
4) Antacida.
5) Physagoga.

*II. Specifica ad opus Sanguificationis:*

1) Haematogoga.
2) Haematostatica.
3) Antiseptica.

*III. Specifica ad opus Nutritionis:*

1) Anthelminthica.
2) Antatrophica.
3) Anticachectica.

*IV. Specifica ad opus Secretionis:*

1) Bechica.
2) Diuretica (Hydrogoga).
3) Diaphoretica.
4) Chologoga et Cholostatica.
5) Sialagoga et Sialostatica.
6) Blennogoga et Blennostatica.

*CLASSIS SECUNDA.*

**Specifica in vitam animalem.**

*I. Specifica in systema Gangliare:*
1) Aphrodisiaca.
2) Antipyretica.

*II. Specifica in systema Cerebro-spinale:*
1) Anodyna et Antispasmodica.
2) Antyparalytica.

---

*CLASSIS PRIMA.*

# Specifica virtus medicamentorum in vitam vegetativam agentium.

## *I. Specifica in opus assimilationis primae directa.*

### 1) Emetica.

Emetica sunt corpora pharmaceutica, quorum influxu motus ventriculi peristalticus vertitur in antiperistalticum, expulsis per os eiusdem contentis.

Concipitur haec actio emeticorum sequenti ratione: primaria irritatione horum corporum, sensatio specifica ventriculi intenditur (nausea), simulque secretio succi gastrici, nec non ea vicinorum organorum promovetur; his ventriculi parietes et per consensum nervorum diaphragma cum musculis abdominalibus ad repentinam violentamve contractionem incitantur, qua sub sensu inamoeno et concussione corporis omnis, contenta ventriculi sursum versus agitantur, denique per os expelluntur. — Litem Physiologorum perennem circa mechanismum emeseos, an nempe is solo prelio abdominali, quiescente ventriculo peragitur (Haller, Magendie et Veteres) an vero actione ventriculi sola (Rudolphi cum recentioribus) perficitur, ingeniosus *J. Müller* composuit effato suo, quod prelium abdominale cum ventriculo in connubio

ngere defendit, actionem hanc simultaneam autem, ex consensu plexus solaris cum medulla spinali per nervum splanchnicum, sympathicumve, cum cerebro vero et medulla oblongata per nervum vagum explicans, dictumque experimento suo sagaci (cauterisatione plexus solaris et n. splanchnici in cuniculis) abunde comprobavit.

Emesi sola, ceu primaria actione emeticorum haud absolvitur horum pharmacorum virtus; secundarii enim et posthumi eorum effectus observantur sequentes, quippe excitato motu vasorum circulatio sanguinis praecipue venos et lymphatici in rivulis vasorum abdominalium ubivis promovetur, cuius aucto nisu secretiones non modo in tubo alimentari et hepate promoventur, sed etiam resorbtio in omnibus organis abdominalibus antagonistico impulsa. His absconditis naturae navaminibus stases in organis abdominis: tubo alimentari, hepate, splene, vena portarum, sanguinolentae passivae dispelluntur; infiltrati humores rescriptioni comittuntur, secreti exterminantur cum maximo functionum emolumento. Ita liberatis vinculis functionum, secretoria vis primum in ventriculo aucta, per omne systema membranarum mucosarum diffunditur, ut etiam mucosae pulmonum cavi oris, narium, viarum uropoëticarum, genitalium cum iis tubi alimentaris et viarum cholopoëticorum incitentur cum organorum recensitorum motu maiori. Porro exposcit nervorum nexus anatomicus, ut cum alteratione plexus coeliaci primarie inducta, omnes reliqui plexus nervorum organicorum cum sympathico ipso, opeque huius medullae spinalis et cerebri nervi eximie incitentur et alterentur. Hinc multi morbi, qui in aliena temperie systematis nervorum automaticorum fundati sunt, influxu emeticorum sponte desinunt; complures exinde affectiones systematis cerebro — spinalis, excitatione systematis automatici ab emeticis causata, derivatione nempe (antagonistica) egregie sanantur. At excitatis nervis vitae automaticae, ramusculi horum nervorum vasa ubivis comi-

tantes, vasorum minimorum intendunt motum, cuius effectus est, circulatio nec non metamorphosis alacrior cum secretionum et excretionum augmento. Inde diaphoresis inducta, bilis secretio promota, expectoratio sane intensa. Patet ergo multiplex efficacia emeticorum, non minus autem error nefandus gastri eorum, qui hanc plane praetervidentes, soli emesi acquiescebant.

Huc referuntur: *Tartarus emeticus, Sulphas Zinci, Sulphas Cupri, Rad. Ipecacuanhae, Viola odorata, Asarum europaeum, Cortex Caribaeus.*

### Cathartica.

Catartica dicuntur medicamenta, quae specifico stimulo auctis secretionibus in tubo alimentari, motum promovent peristalticum, cum secretis humoribus etiam alias res nociferas, quae in primis viis retentae sunt, explicantia.

Discedunt autem catartica in *Eccoprotica* et *Purgantia* sensu strictiori. Haec autem apte in Purgantia *antiphlogistica*, Purgantia *phlogistica* et Purgantia *drastica* dividi possunt. Divisione hacce partita haec pharmaca sub singulis titulis speciatim contemplare oportet.

A. *Eccoprotica* mucosacharum, acida vegetabilia et sales solventes vehentia, secretiones in primis viis leniter promovent, et humorum inquilinorum praecipue bilis indolem phlogisticam corrigunt,quae posteaquam diluta et largius secreta est, eorum ope alacriter evehitur mixta intestinorum saburra. Ventre sic sine graviori motu depurato, in viis cholopoëticis stases phlogisticae eum irritatione aut inflammatione hepatis dissipantur, quod si factum est, totius systematis venae portarum stagnantiones solvuntur, desinentibus, quae iis ortum debuerunt, incommodis. In sanguinem susceptа *Eccoprotica* eius temperiem mitigant, sitim fallunt, morbosas sensationes compescunt, irritationibus et inflammationibus inimica crisibus etiam per cutem et vias uropoëticas sospitantur. Summopere denique valent ad erethismum sanguinis

et nervorum compescendum, nec virtute leniter nutriente et antiseptica carent.

Sunt: *Manna, Fructus tamarindorum, Pruna* et *Cassia fistula, Carbonas magnesiae, Serum lactis* (tamarindinatum).

B. *Purgantia,* quae fortiori stimulo in tubum alimentarem agunt, secretionum et motus peristaltici augmentum efficiunt, hocque iam plane sine stimulo, iam mediocri, iam denique fortissimo intestina adgrediendo, instituere solent.

Discedunt itaque in *Purgantia antiphlogistica, phlogistica* et *drastica.*

a) *Purgantia antiphlogistica* sunt sales virtute sanguinem attenuante, eiusque stimulum phlogisticum infringente pollentes; qui maioribus dosibus propinati secretiones tubi alimentaris promovent, secretos autem humores potentius aut mitius deorsum vehunt. Bilis effluxum urgendo tensionem inflammatoriam hepatis tollunt, stagnationes in splene et systemata venae portarum purgando resolvunt, et derivationem a nobilibus organis idiopathica irritatione intestinorum perficiunt.

Huius generis sunt: *Cremor tartari, Tartarus tartarisatus, Sal Seigneti, Tart. ammoniatus, Tart. boraxatus. Phosphas sodae, Sulphas lixivae, Sulphas sodae, Sal amarus,* denique *Calomel.*

b) *Purgantia phlogistica* distincto modo feriunt ventrem et corpus; plexus enim nervorum abdominalium aliquantulum concutiendo, sanguinis circulationem in primis viis cum stimulo aliquo promovent, quin tantam irritationem mucosae ac sales causare valeant. Specifica virtute bilem movent, resolutioni stasium abdominalium opitulantur. Abusu digestionem et assimilationem infringunt, laxitatemque tubi intestinalis inducunt.

Hic ordo complectitur *Sennam* et *Rheum.*

c) *Drastica;* exiguis dosibus organismo, graviter a nervis abdominalibus percipiuntur, cardialgia, colica, imo

vomitu in lucem veniente. Concutiuntur plexus omnes abdominis, praecipue tamen imi ventris, quare stimulo forti dum movent circulum, per omne systema abdominale turgorem vasorum haemorrhoidalium, uteri, viarum uriniferarum vehementem causando sanquinem ex his organis elicere solent. Talem orgasmum artificialem per omne systema sanquiferum praecipue in vasis venosis abdominis inducunt; secretiones autem promovent summopere in tubo intestinali, cuius motum vermicularem specifico quasi stimulo intendere ad maximumque gradum evehere observantur. Videtur virtus drastica dependere a principio resinoso in his pharmacis praevalente quantitate recondito.

Drasticis accensentur: *Aloe soccotorina, Rad. Jalappae, Scamonium, Gummi guttae, Colocynthides, Oleum Ricini, Ol. Crotonis, Herba et Radix gratiolae, Radix Hellebori nigri et albi, Rad. Bryoniae, Rad. Caincae, Cortex interior Sambuci nigri, Agaricus albus, Convolvulus soldanella, Rhamnes catharticus* (Spina cervina), *Momordica elaterina, Semina Euphorbiae.*

### 3. Anticathartica.

Sunt remedia omnia, quae secretiones diversorum organorum morbose adauctas, seu profluvia sic dicta intercipere queunt. Talia profluvia sunt praeter diarrhoeae diversas formas sialorrhoea, blennorrhoeae, diabetes sudores profusi, galactorrhoea. Hic loci contemplari liceat saltem illa profluvia, quae organorum sunt assimilationi primae dicatorum, in specie diarrhoeam et huic saepe nexam cholorxhoeam.

A. *Coprostatica.* Catharsis intestinorum diversam agnoscit formam vomitus nempe, diarrhoeae, dissenteriae, lienteriae, fluxus coeliaci et cholerae. — Inter ea quae *vomitum* effrenum coercere valeant maximas laudes merentur *acidum carbonicum* e pulveribus aërophoris extricatum cum potione Riveri; *glacies et aqua glacialis. Opium.*

2 *

Coprostatica secundum diversas vicissitudines directe et indirecte agunt, imo scimus catharsim saepe laxantibus intercipi posse. *Directe* coprostatica sunt:

a) *Adstringentia* inter quae eminent praeparata *Plumbi* et *Alumen, cortex et glandes Quercus, Rad. caryophillatae* etc. Actio Plumbi intestinis admodum infensa usum eius in diarrhoea saepe restringit.

b) *Roborantia* amara, aromatica, adstringentia nutrientia seu mucilaginosa et balsamica nec non praeparata *ferri.* Inter *roborantia amara* excellunt *Centaureum, Trifolium fibrinum, Rad. Colombo, Cortex Simarubae, Lignum Quassiae,* Cort. Angosturae verae. — *Amaro-aromaticai: Rheum* dosibus minoribus, *Cort. Cascarillae Artemesia, Tanacetum. — Amaro-adstringentia: Ratanhia, Gallae Quercus, Tormentilla, Bistorta. — Roborantia nutrientia: Lichen islandicus et parietinus. Amylum, Grana Sago Semen Hordei, Rad. Salep. — Roborantia balsamica:* Cortices *Chinae* diversi et eius Surrogata. Quis ignovit denique praeclaram virtutem praeparatorum *Ferri* praecipue muriatis ferri.

c) Ex *Stimulantibus, Ipecacuanha* omni aevo magnam gloriam qua coprostaticum retulit.

d) Egregium denique antidiarrhoicum sistit *Opium,* praecipue in fluxu ventris ex transpiratione cutis suppressa aut spasmis originem suam ducente.

B. *Cholostatica.* Probabile quidem videtur, secretionem bilis profusam adstringentibus fortioribus intercipi posse, sed tamen propter nocivum cholostaseos in corpus influxum, haec remedia scopo cholorrhoeam sistente nunquam adhibenda sunt.

Coërcetur autem bilis fluxus intensus duplici modo:

a) *Indirecte* medicamentis, quibus phlogistica elementa sanguinis venosi imminuntur et haec sunt: Acida mineralia et vegetabilia, Saccharina, Serum lactis, radices et succi

aciduli, magis fructus horaci et vegetabilia oleracea. Ad praestantiora pertinent *Sales acetici tartarici, sulphurici* medii aut aciduli.

b) *Directe* imminuitur secretio bilis per remedia excretionem eius promoventia ergo *Chologogis*. His accenseri merentur:

α) *Solventia amariuscula: Taraxacum, Fumaria, Maruibum, Cichoreum, Centaureum, Bilis bovina* et *Rheum*.

β) *Drastica* principio resinoso scatentia, praecipue *Aloina*.

γ) Ex *Stimulantibus: Therebinthinacea*, in finem praedictum magno successu adhibentur.

### 4. Antacida.

Corpora, quae colluvici acidae in primis viis renituntur, praesentem vero resorbere innocuamque reddere valent, nomine *Antacidorum* veniunt.

a) Posteriori virtuti exerendae paria sunt, remedia quae *directe antacida* audiunt, veluti: *Kali, Natron, Ammonium purum, Calx usta;* mitiora: *Magnesia* et *Calx carbonica* (creta, lapides cancrorum), *Kali, Natron* et *Ammonium carbonicum*. Haec corpora acidis in ventriculo contentis, libenter iunguntur, secedente acido-carbonico, novi autem exinde orti sales post modum leniter laxante virtute proficua evadunt.

b) *Indirecte antacida* ea sunt, qua potius causam fundamentalem morbi, cum hac autem symptoma tollere valent et quidem:

α) *Laxantia,* quae saburram, fontem non raram acidorum ventriculi evehunt.

β) *Roborantia*, quae ventriculo tonum quemdam impertiunt, morbosae itaque genesi acidorum egregie renituntur digestioni et assimilationi quam maxime opitulando.

γ) *Stimulantia,* quae aliquid tonice agunt; magis *Zin-*

*cum* et *Bismuthum*, quae pharmaca sensilitatem compescendo, secretiones alterare videntur.

### 5. Physagoga.

Remedia, quibus flatus in primis viis geniti pelluntur, *Physagoga* vocantur. Corpora hac virtute insignia oleum aethereum primis viis amicum tenent, quod dum sensationem et spasmos — ceu fontes geneseos flatuum — compescit et resolvit, motu intestinorum insimul aucto flatus exturbat. Altera adhuc via oleum aethereum secessum aëris ex intestinis molitur; incalescente nempe corpore circulatio sanguinis promovetur, cutisve in transpirationem cogitur, quo nervorum temperies componitur, tensioque partium evasis flatibus, evanescit. — Physagogorum autem illa, quae principiis tonicis referta sunt, atoniam tubi alimentaris delendo et secretiones corrigendo, digestionem corroborant, sic potius morbum ipsum, quam merum symptoma evertentia.

Ad *Physagoga* itaque sequentia pharmaca referuntur: *Semina anisi vulgaris et stellati, Foeniculi, Phellandri aquatici, Cumimi, Corvi, Coriandri; Cinnamomea, Piper longum, Capsicum annuum, Camphora, Ammonium.*

## *II. Specifica ad opus Sanguificationis.*

### 1. Haematogoga.

Etiamsi nota sint quaedam corpora pharmaceutica, quae sanguinem e vasis elicere possunt, uti stimulatia, Acria-resinosa nonnulla, haec tamen ad huius serici pharmaca relata habere nolumus agentes hic de iis praesidiis specificis quae tutam et directam sanguinis detractionem portendunt, scilicet: *Phlebotomia* et *Arteriothomia* seu universales sanguinis depletiones; porro *Hirudines*, *Scarificationes* et *cucurbitae cruentae* seu locales sanguinis detractiones.

Effectus qui *universalem sanguinis detractionem* se-

quuntur sunt: Versio craseos sanguinis et restitutio libertatis circulationis. Enimvero demto aliqua portione sanguinis, atomi organici in coagulum tendentes, fibrina nempe et cruorina minuuntur, adauctis relative principiis serosis; imminuta porro copia cruoris, quia restans sanginis fluidior, ut ita dicam, liberius per rivos distribuitur, turgor vasorum paccatur, vis et durities pulsuum concidit; explicito sanguine qui in distinctis organis accumulatus fuit, facilius refluit — stasibusque sic resolutis processus resorbtionis ubivis intendi necesse est. Libertas circulationis liquidioris sanguinis praeterea aliis commodis stipatur, nempe: atria secretionis, uti cutis, membranae mucosae pristinam imo auctam functionum suorum activitatem evolvunt, et quia restans sanguis nec sibi ipsi adeo obstaculo est ac prius, nec vasa ita expandit: nervos organicos tam magno stimulo irritare nequit, unde calor sensilitasque morbosa (dolor) necessario imminui debent.

b) Ex *localibus sanguinis detractionibus* primum locum merentur *Hirudinum morsus;* hoc partes punctae aliquam irritationem experiuntur, quam derivante vi quam pollere inficias ire non licet, et dum hirudines edemorsis partibus sanguinem exsugunt proxime quidem cruor organo demorso decerpitur, postmodum etiam subiacentibus, adeo ut etiam in cavis corporis organo continuo sanguinem dimittant, quia profundiorum partium vasa anastomosi cum iis superficialium iuncta sunt. Praeter hunc localem influxum, iactura sanguinis etiam omne corpus alteratur. Nam cruor qui effluxerat omni sanguini damno esse debet, et quidem emolumento, si corpus eo gravatum fuit. Hirudinibus tamen, quia sanguis lente profluit, vicissitudines universalem sanguinis depletionem insequentes cieri nequeunt, sanguine mox reprofacto.

*Scarificatioe partium ope cucurbitarum cruentarum* sanguis solum e superficialibus vasis, detrahitur, ast cum partes lanceolis inscissae irritentur, irritationes organorum internorum ad externa derivari videntur.

## 2. Haematostatica.

Haematostatica sunt corpora pharmaceutica, quae vi sua specifica in sanguinem et vasa, profluvia sanguinis sistere possunt.

Pharmacorum, quae ex vasis cum vitae discrimine elabentem sanguinem coërcere valent, virtus in *adstringente* et *roborante* vi sita est, et quidem stiptica principia fibram relaxatam telae vasorum condensant stringunt, dum roborantia tonum non solum vasorum, sed et ipsius sanguinis energiam intendunt sicque sanguinem sistunt. Simili modo ac Roborantia etiam *Antiseptica* suam haematostaticam vim evolvunt, illa enim moleculas sanguinis condensando huius et vasorum expansionem sufferunt et tali ratione undae nimiae effluxum impedientia. *Narcoticis* aeque vis haematostatica inest, quam nonnisi tunc manifestant, si spasmis intercepta libertas circulationis causa haemorrhagiarum est, quae composito circulo sanguinis necessario desinunt. Ex *emeticis: Ipecacuanha* eatenus sanguinem retinet,quatenus omnia deorsum ruentia impedire valet, unde potissimum cruorem organa imi abdominis descrentem coërcet. Tandem *Chirurgia* encheiresim docet, quae consistit in combustione vasorum; hacque, si nihil aliud ruentem sanguinem coërcere potuit, synechiam vasorum producit.

Ex his sequentes series haematostaticorum colliguntur:

a) *Adstringentia,* inter quae notatu digniora sunt: Praeparata *Plumbi, Alumen;* huc quoque referuntur illa quae proprie non pertinent ad pharmaca, sed more Adstringentium agunt, uti *frigus* forma aquae frigidae vel glaciei adhibitum.

b) *Roborantia,* insigniter *Cortices cinchonae* cum eius praeparatis pseudoalcalinis: *Ferrum,* praecipue *sulphas ferri;* Acida mineralia, inter quae *Acidum sulphuricum* eminet, basibus *Cupri* et *Zinci* suptum.

c) *Narcotica* laudabiliora specifica haematostatica largiuntur in *Opio, Secale cornuto.*

d) *Chirurgica adminicula: Lapis causticus* et *ferrum candens.*

### 3. Antiseptica.

Antiseptica remedia dici debent omnia, quae sanguinis liquationi quoquo modo renituntur.

Remedia quae id praestare queunt diversi ordinis sunt. *Adstringentia* nonnisi indirecte sepsim sanguinis restringant, eius ulteriorem effluxum condensata tela vasorum inhibendo. *Roborantia* dum sanguinis arteriosum elementum adaugent et eum chymoseos, chylopoëseos et assimilationis incremento firmitudinem partium solidarum inducunt, liquationi sanguinis contraria sunt. *Stimulatium* nonnulla aeque gaudent vi antiseptica, nimirum vasorum et nervorum collabentem vim erigendo sanguinis energiam intendunt. Antisepticorum autem validissima *Acida* largiuntur; haec enim dum sanguini oxygenium tribuunt, versioni cruoris in formam artesiosam sospitantur; expansioni quoque sanguinis undecunque ortae renitendo non modo diffluvium arcent, sed fervorem nefors praesentem et cum hoc nervorum aciem temperant.

*Antiseptica* virtute itaque pollent remedia sic dicta Antiscorbutica, et quidem: *Herba Cochleariae, Rad. Nasturtii, Chelidonium maius et minus, Bulbus Alli Cepae, Semina sinapis, Brassica acetata, Chinace a; Acida* omnia tam vegetabilia quam mineralia; denique ex foro Stimulatium: *Camphora, Serpentaria, Imperatoria, Arnica, Mentha piperita,* nec non *Vinum* et eius praeparata.

## *III. Specifica ad opus Nutritionis.*

### 1. Anthelmintica.

Remedia quibus corpus a vermibus in primis viis genitis liberatur, *Anthelminticorum* nomine veniunt. Quum adeo

diversa inter se remedia Enthelmintis propellendis inserviunt, quaeritur quali virtute haec et illa id faciant? *Oleoso aeth.*, *Nauseosa*, *Therebinthinacea* et *Empyreumatica* principio nauseoso vermibus infensa esse videntur, iis ergo afflicti vermes sponte secessum quaerunt. Quae *acri* ac *resinoso* principio instructa sunt (Drastica) nidum animalculis subtrahendo ea exturbant. — *Roborantium* illa, quae tonicis et amaris particulis resinosa iungunt, directe specifica vi anthelminthica gaudent; alia solum indirecte conferunt non adeo ad vermes expellendas, quam eas cum organorum debilitate exstincta, radicitus enecandas. — Quomodo *Pinquedines* et *Olea pinquia* vermibus damno sunt, facile concipitur, perpendentes iis intestina lubrica reddere, qua contenta vitiosa facile dimittunt; praeterea multo oleo obvolutae vermes fors ita intereunt, quemadmodum alia animalcula vernice obducta. — Dum *Metalla* vermes enecant et evehunt, hoc galvanico processu factum fuisse naturae scrutatores iam pridem rebantur; quaedam tamen etiam confricando et conterendo vermium necem inducere, non est cur dubitemus. — Quod ex *Narcoticis* unum prae caeteris (Acid. borussicum) vermibus inimicum sit, non mirum; sicuti nempe omni vitae animali, ita quoque hisce animalculis hybridis infensissimum esse credere licet.

Huc recenseri merentur: *Jalappa*, *Gummi guttae*, *Scamonium*, *Colocynthides*, *Helleborus*, *Gratiola* (Drastica); *Cortex rad. Punicae granatorum*, *Filix mas cum Filicina*. *Tanacetum*, *Artemesia*, *Semina santonici*, *Valeriana*, *Semina sabadillae*, *Assa foetida*, *Gummi ammoniacum*, *Galbanum*; *Ferrum* (Roborantia); *Therebintina*, *Oleum animale Dippeli*, *Petroleum*, *Oleum Chaberti* (Stimulantia); *Oleum Amygdalarum*, *Ricini* (Pinguia); Stannum, Calomel, Zincum (Metalla). Denique Spigelia Anthelmia, Helmintochortos et Acidum borussicum.

## 2. Antatrophica.

Corpora quae nutritionis penuriae ocurrunt, morbisque quomodocunque depauperatam materiem organicam corpori restituendo vitae sospitantur *Antatrophica* dicimus. Remedia hac virtute instructa nullam testantur actionem specificam in organa singula, aut systemata aut telas oeconomiae animalis; sed quia languentis corporis nutritioni prospiciunt, functionum materiem plasticam reproducentium et fortiora nutrimenta recusantium vim et robur erigendo, principiaque corpori suppeditando quae facile in materiam organicam abeunt: conceptui Specifici non adversantur.

Antatrophica e foro nutrientium rerum depromenda esse quivis perspicit, nec non res illas debere esse mites fibrina non dites, corpus sufficienter sed non cum stimulo nutrientes; tales sunt: *Amylum* cum corporibus illud magna copia tenentibus, uti sunt *Cerealia, Arrov-rootum, Solana tuberosa, Potus Cacao, Grana Sago, Ova sorbilia; Lac* cum eius praeparatis; praeterea *Gelatina* ossium et membranarum, *Ichtyocolla*, Carnes *Ostraearum, Cancrorum, Vermium, Piscium* minus pinguim.

Sequuntur corpora magis pharmaceutica uti: *Cornu cervi* rasum et ustum, *Lichen islandicus* et *de Carragen*, tandem *Cortex Chinae.* At etiam externis remediis corpora restaurari ars novit, veluti *balneis* nutrientia elementa tenentibus, *inunctionibus, infrictionibus* cum Oleosis et Pinquibus. *Vapores* etiam *animales* hoc intuitu magnam famam nacti sunt.

## 3. Anticachectica.

Licet recensita remedia (Antatrophica) nunc adumbrandis proxime accedant, imo haec in se complectantur (Atrophia enim quid aliud est quam habitus depravatus seu Cachexia) nihilosecius tamen remedia specificis cachexiis opposita proprio sub titulo pertratanda sunt, nam hac re-

mediis prius commemoratis raro ne dicam nunquam sanabuntur. Quot cachexias novimus, tot series remediorum specifice anticachecticorum distinguuntur; sed quia haec proprie ad *Specifica morborum* spectant, ea hic generice commemorasse sufficiat. Sunt:

a. *Antiscorbutica*, quae cum Antisepticis collimant.

b. *Antihydropica.* Haec ex diureticis cognoscuntur.

c. *Antiscrophulosa*, quae ex solventibus et Metasyncriticis petuntur.

d. *Antarthritica* ex Acribus depromuntur.

e. *Antisyphilitica* sunt, quae rivulos minores systematis lymphatici et venosi fortius concutiunt.

f. *Antiimpetiginosa* (Antiscabiosa.)

g. *Antidota cachexiarum metallicarum*, de quibus hic adnotare liceat, metalla se mutuo propugnari, omnia autem *Sulphure* optime debellari posse.

## *IV. Specifica ad opus Secretionis.*

### 1. Bechica.

Pharmaca quae languorem transpirationis membranae mucosae organorum respirationis exstinguunt, mucum et pituitam tenacem propter infirmitatem organorum aëriferorum excutiunt, verbo — crises salutares in viis spiritalibus adjuvant, Bechica vocantur.

Ars multis et inter se diversis uti potest remediis ad expectorationem promovendam, et quidem:

1. *Sulphuris praeparatis*, quae mucosas viarum aëriferarum potenter excitant, nam his viis dissipatur ex corpore; ipsum ergo dum excutitur, exhalationi sospitatur.

2. Praeparata *Antimonii* et *Hydrargyri* bechica virtute pollere nemo inficias ibit; notum enim est hoc metallo processum fluidisationis et secretionis in membranis mucosis praecipue iis viarum aëriferarum solicitari. Antimonio praeterea nervos ita alterari, ut sub sensatione nauseae expe-

ctorationi semper sospitetur. Praecipuam laudem merentur *Sulphur auratum Antimonii Tartarus emeticus, Kermes mineralis* et *Calomel.*

3. *Acria* expectorationi non minus favent; secretionis enim processum ubivis intendunt, et hunc praecipue si ex torpore collapsus est, unde si in viis respiratoriis pituita crassa inscindenda, resolvenda et evehenda est, acria multis aliis palmam praeripere videntur. Ex acribus scopo bechico specifice inserviunt, *Inula Helenium, Serpentaria, Angelica, Pyretrum, Scylla, Arnica. Senega, Jacea, Bardana, Quaiacum, Sarsaparilla, Mezereum, Allium Cepa et Ipecacuanha.*

4. *Therebintinacea et Gummiresinosa* eodem fere modo expectorationem movent uti acria, attamen maiori fere stimulo membranas secernentes feriunt, nervosque automaticos concutiunt. Huc pertinent *Therebintina, Assa foetida Gummi Ammoniacum, Galbanum.*

5. *Stimulantium volatilium* principia, dum mucosis pulmonum (et cute) secedunt, specificam virtutem bechicam exercere videntur, ast agunt quoque stimulo positivo in vasa et nervos; quapropter tunc apprime conveniunt, si ob subitam defectionem psaesidiorum nunc dictorum nobilissimorum facultas excretionis pulmonum subflaminata est. Laudantur hoc intuitu prae ceteris, *Sambucus, Ammonium, Moschus, Castoreum, Camphora.*

6. Narcoticorum quoque aliqua sunt bechica virtute insignia, quam partim a principio acri, partim a vi propria sensilitatem morbosam et motus spasticos pulmonum componendi repetunt. Talia sunt *Digitalis Belladonna, Stramonium. Cicuta, Hyosciamus et Acidum borussicum.*

7. Tandem *Lichen Islandicus* nutrienti specificam ungit vim expectorantem.

## 2. Diuretica.

Diuretica virtus medicamentorum, palam redditur aucta urinae secretione et excretione; hanc dum natura peragit antagonistice resorbtionis processum intendunt, quo humores excernendi in sanguinem deveniunt, secus enim renes non haberent quod secernant Patet ergo diureticis quoque processum intendi debere.

Adeo multorum quae possidemus medicamentorum diureticorum virtus, haud ex uno eodemque fonte promanat. Quia tamen virtus diuretica duobus momentis superstructa est, nempe *solutioni* materiarum renibus excernendarum, quae cum resorbtione concidit, et *diuresi:* sponte liquet diuretica depromenda esse ex classibus *Solventium* et *Acrium.*

A. *Solventia* complectuntur *vegetabilia acidula-dulcia, Eccoprotica* uti Manna, Tamarindi, Rad. Liquiritiae; dein *sales solventes antiphlogisticos* uti sunt tartrici, acetici, carbonici, sulphurici, muriatici, basibus lixivae, magnesiae, sodae nupti, et *mercurius dulcis.* Transitum ex solventibus ad alteram classem Diureticorum nempe Acrium faciunt *Solventia alterantia* ad quae referre invitamur *Therebintinam, Gummi ferulacea, Balsamum Peruvianum, Copaivae, Tolutanum et de Mecca.*

B. *Acrium* et consequenter diureticorum nomen merentur

a. Pharmaca principio extractivo *resinoso acrusculo* aut *saponaceo* instructa, qualia sunt: *Sarsaparilla, Bardana, Quaiacum, Sassafras, Turiones pini, Baccae Juniperi, Sabina, Uvae Ursi. Equisetum Arvense, Pyrola umbellata, Ballota lanata, Saponaria.*

b. Remedia principio acri imbuta, ad quae spectant *Drastica* quaevis, dein *Ononis spinosa, Synapis Mezereum, Colchicum autumnale, Scylla maritima Nasturcium, Coch-*

*learia, Cantharides, Meloës maiales, Proscarabaeus* et *Millipedes*.

c. *Narcotica acria: Digitalis purpurea, Nicotiana Tabaci, Cicuta.*

### 3 Diaphoretica.

Remedia quibus vascula capillaria cutis, quomodcunque aucta actione transpiratio promovetur, Draphoretica audiunt. Habent vim *diaphoreticam* remedia omnia quae volatili aut alio principio cute libenter fugando instructa sunt, dumque hyperenergico nisu explicantur, cum vapore aut sudore etiam aliorum nociferorum elementorum fuga instituitur. Inter pharmaca quae diaphoresin praestare valent, primum locum merentur:

a. *Oleoso-aetherea* quae stimulando in vasa agunt aliquam miti, alia fortiori, alia denique fortissima vi; eliciunt autem transpirationem et sudorem modo supradicto.

b. Non minus *Metallorum nonnullorum* diaphoretica virtus, encomiis extollitur, praecipue *Sulphuris* et *Antimonii.* Prioris actio consistit in maiore concitatione et alteratione sanguinis venosi et in singulari relatione quam cutis cum Sulphure habere videtur, huius enim atomi lubentissime cute separantur. — *Antimonium* vero vi sua in nervos automaticos vasa comitantes, horum energiam ita intendit, ut in sphaera peripherica alacrior motus, et cum hoc aucta materierum evaporatio insequi debeat; insuper Antimonialibus vis antiphlogistica inest, et quum praeterea cutis metamorphosim singulariter alterat, eorum virtus diaphoretica haud ardue concipitur. Simili ratione ac Antimonium agunt omnia, *Emetica*, quae nervorum automaticorum vitam ita incitant, ut cutis in transpirationem disponatur.

c. *Narcotica* tandem actione sua reactionem centralem in peripheriam, ubi functiones subflaminatae sunt, directam inducunt.

His praemissis en praecipua *remedia Diaphoretica, Sambucus, Camphora, Ammonium, Moschus, Castoreum Asa foetida. Gummi Ammoniacum, Galbanum, Sulphur Antimonium*, praecipue *Tart. emeticus, Opium* et *Acidum borussicum.*

### 4. Chologoga et Cholostatica.

Specifica huius ordinis sub capite „Antica-thartica" pertractavimus.

### 5 Sialagoga et Sialostatica.

Qui actionem *Hydrargyri, Auri, Jodinae* intellexit, de existentia remediorum salivae secretionem specifice moventium nec momento dubius haerebit Accedunt ad nunc dicta Sialogoga principalia, *Acria* fortiora, insigniter autem *Pimpinella, Enula, Dictamnus, Zingiber, Zedoaria, Senega, Galanga,* quae acri suo principio, salivae fluxum copiosiorem invitant.

Ad *coercendam salivationem* (Sialostatica) in genere roborantium et adstringentium usus sive topicus sive universalis commendandus est. Speciatim vero primas sibi vindicarunt partes *Sulphur* cum suis praeparatis et *Aquis Hydrothionicis*, nec non ex Algis *Scopolina Atropoides* cuius extractum a Clariss. Prof. *Lippich* in clinico Vindobonensi stupendo cum effectu adhibitum fuisse, nuper expertus sum. — Quod indirecte Laxantibus, Diaphoreticis et derivantibus externis salivatio minui posset sponte liquet.

### 6. Blennogoga et Blennostatica.

Pharmaca quae blennostasim tollere valent recensere, idem foret ac repetere velle, qualia remedia ars in Catharticis catexochen, in Sialagogis, in Diureticis Bechicisve nec non in Anthelminticis recondat. Haec quum sub capitibus praemissis abunde innotuerint, hic solum commemorasse sufficiat, discrasiam ex blennostasi ortam, *Acidis mineralibus*

et *Lignis alterantibus* (Sarsaparilla etc. etc.) uberam muci secretionem, ceu specificis inducentibus, sufferi posse.

Pro diversis vitae vicissitudinibus, corpora diversa scopo *blennostatico* sufficere experimur; sic inflammatis mucosis (sub stadio irritationis) optime inserviunt *Antiphlogistico-eccoptotica;* alias relaxatis aut anenergicis membranis muciparis, pro re nata *Roborando-Adstringentia* aut *Stimulantia* erunt Blennostatica efficacissima, quibus praesertim blennorhoeae primarum viarum secure refrenari possunt; Blennorhoeae viarum uropoëticarum *Balsamicis* et *Therebintinaceis;* viarum spiritalium *Acribus stimulantibus* (Senega Pimpinella, Lobelea inflata etc.) ubi ejecto muco secretiones vitiosae desinunt.

---

### *CLASSIS SECUNDA.*

# Specifica in vitam animalem.

## *I. Specifica in Systema Gangliare*

### 1. Aphrodisiaca.

Nomen hocce merentur pharmaca, imo corporalia, quae stimulum sexualem augendo facultates organorum genitalium virilium aeque ac foeminarum promovent.

Nulla organa adeo raro egent specificis ut in functionem adigantur quam genitalia; sunt tamen casus in quibus *Aphrodisiacis* opus est, quorum praecipua fere sequentia sunt:

a. *Stimulantia* suave et graveolentia et aromatica uti: *Siliqua Vanigliae, Macis nucis moschatae, Flores aurantiorum* cum suis praeparatis, *Cortex Cinnamomi orientalis et occidentalis, Clavelli Cassiae, Flores Cinnamomi,* eius aquae tincturae et spiritus.

b. *Cardiaca* complura, quae tamen magis indirectam vim in genitalia exercent.

c. Ex *Narcoticis: Belladonna, Nicotiana, Stramonium, Hyosciamos, Cannabis, Agaricus muscarius*, e quibus omnibus viles foeminae filtra pararunt; denique *Opium* cuius virtus aphrodisiaca ingens in oriente dudum jam notum est.

d. *Balsamica* et animalia quae *oleum acre* continent: *Therebintina* et eius praeparata, *Balsamum, Peruvianum. Tolutanum, Copaivae* et de *Mecca; Cantharides* cum *Meloe majale, Proscarabaeo. Oniisco Asello*, et pluribus similibus insectis.

e. *Phosphorus* uti fertur omnium Aphrodisiacorum maximum.

Sed clare patet haec pharmaca ex diversis imo contrariis medicamentorum classibus desumta non eodem prorsus modo virtutem aphrodisiacam exercere, ideo distincte et breviter perlustranda nobis veniunt. Quae *aromatica* sunt, nervis sexualibus sunt amica, incitantque dum nervos percellunt, et sic cum eorum facultate aucta eam etiam organorum in quae difluunt, adaugent. — *Narcotica* actionem in medullam spinalem videntur facultatem organorum frugiferorum promovere. — *Balsamica* et *Diuretica* si circulationem turgorem et motum dum in organis uriniferis expediunt, stimulum ad vicina quoque sexualia organa transferunt, secretiones cum motu hic quoque augentia. — Phosphorus autem ignifera sua vi in nervos et sanguinem, organa quoque sexualia graviter appetere dubitare non licet.

### 2. Antipyretica

Insigniuntur hocce titulo pharmaca, quibus febrium intermittentium paroxysmi exstingui queunt aut quae anomaliam febribus his subjacentem delere opinantur. Diversae ea esse indolis sequens docebit expositio. Hic nempe recensentur:

a. *Nutrientia* et *Gelatinosa: Gelatina animalis Gluten animale, Ictyocolla, Limaces, Lichen Islandicus, de Carragen, Parietinus.*

b. *Roborantia* nec non *Adstringentia* amara, et amaro-aromatica, ex quibus *cinchonacea* famam maximam a multis aevis merebantur, praeter haec *corticis Hypocastani, Salicis, Quercus,* nec non *Gallae quercus* et *Fabae caffeae.*

c. *Stimulantia* nauseosa; *Flores chamomillae, Radices Valerianae, Ipecacuanhae, Tanaceti, Artemisiae, cardiaca, Piper Hyspanicum* et *Jamaicense, Rad. calami aromatici.*

d. *Ex Narcoticis*; Opium, Nux vomica, Faba St. Ignatii.

e. *Ex Metallis: Arsenicum* (primum tenet locum) *Antimonium,* cum aliis ex hoc ordine emeticis.

*Gelatinosa* et corpora mite nutrientia nervos organicos alere, tensionemque morbosam eorum delere, hocque modo paroxysmos evertere videntur. — *Roborantia* omnia, aucta energia systematis gastrici nervorumque vitae automaticae temperiem morbosam, cum silentio motuum morbosorum corrigunt. Ex hac causa Cinchonacea sunt Antipyretica praestantissima. Sed quia febres intermittentes non simpliciter temperiem nervorum mutatam testantur, verum etiam luctam naturae cum stimulis materialibus, quos novis novisque reactionibus (Paroxysmis) ex se explicare cupit: palam est satis non esse Antipyreticis paroxysmum intercepere, residuis enim stimulis corpore nedum salvo, Paroxysmi iterum revertuntur, aut novi sequuntur morbi posthumi. *Nauseosa* temperiem nervorum organicorum fortius alterant, cum his autem vascula capillaria in motus separatorios criticos cogunt, omniaque incitant organa, ut sibi revindicent robur amissum. — *Narcotica* non modo agunt in centrum, ex quo plurima fila nervorum scaturiunt, sed etiam hyperetismum nervorum, huiusve in multis intermittentibus effe-

ctus graves compescunt, si non ex integro delent. — Admodum difficile est definire qua ratione *Arsenici* saepe jam minimae doses intermittentes pertinacissimas elidunt; verosimile tamen systema gastricum et nervos omnes incitando tam praeclarae virtuti, licet sequelis posthumis non carenti, in lucem prodendo par est. — *Antimonium* vi praecipue emetica et resolvente eximia, quam possidet febres pellere notum est.

## *II. Specifica in Systema cerebro-spinale.*

### 1. Anodyna et Antispastica.

Remedia, quibus dolores ex excedente sensilitate nervorum sensiferorum orti sedantur, *Anodyna;* quibus vero spasmi ab eadem causa provocati compescuntur, *Antispasmodica* vocantur.

Utramque quidem seriem phaenomenorum, e distinctis specificis nervis scaturire Physiologia et Pathologia docet; nervorum tamen sensiferorum et motoriorum, quia in orbe quodam vehitur actio, etiam pharmacorum systema sensiferum mutantium vis per circulum nervorum distribuitur, compositis doloribus, componens spasmos. Et etiam si medicamina distinguere liceret, quae hos aut illos nervos exquisite feriunt, anodynum tamen et antispasticum effectum iisdem influentiis et methodis medendi natura tribuit; hoc ergo capite anodina et antispastica ab invicem distinquere non licet. In enumerandis Anodynis et Antispasticis nec remedia diversa diaetetica et ad regimen referenda reticere possum, nam haec saepe ad exerendam hanc actionem sufficientia esse, praxis satis comprobavit. Huc pertinent: Abstinentiae quies et sommus; infirmi enim et fatigati nervi iisve optime reficiuntur. Ad distrahendam mentem quia haec saepissim, in neurosibus malum ante oculos volvendo in hoc pertinaciter demersa esse solent, sufficiunt non raro: conversatio

amovena, studia non fatigantia, Musica, Pictura, Sculptura Poësis, nec non praecepta moralia et religiosa; dum haec autem frustra adhibentur, peregrinatio in terras alienas, praecipue autem ad littora maris plurimum facient. Thermarum eximiam in sanandis algiis et spasmis virtutem, uti nec mutationis in momentis aetiologicis aegrum ambientibus institutae praeclara actio nota est. — Ad *diaetetica* adhuc pertinent: Balnea tepidiuscula, fomenta, cataplasmata, lotiones, quibus partes irritatae dolentesque non raro demulciuntur.— Constat porro influxus quosdam sidericos, telluricosve et quidem *Lucem, calorem, Electricitatem* et *Magnetismum* maxima pollere facultate ad aequilibrium nervorum restituendum. Denique adcommodationem nervorum hic praestare multum quis est qui ignoret?

Ad Specifica remedia in his morbis recurrentes, videmus haec esse omnia *Stimulantia* et *Narcotica,* singulaque eorum in determinatas agere nervorum provincias et ramos, cuius actionis distinctae et specifica catalogum in introductione dedimus, a' repetitione hoc loco abstinentes.

### 1. Antiparalytica.

Sopitos nervos, quae iterum ad munera sua aptos reddere valent medicamina, *Antiparalytica* nominantur. Ast excipiamus hic oportet omnes paralyses secundarie ortas, uti congestione activa et passiva, inflammatione, infiltratione, exsudatione, quia hic non est locus recensendorum erga hos morbos remediorum quam *specificorum* in nervos ipsos sopitos agentium. Specifica autem Antiparalytica dicimus omnia corpora quae directe nervos feriunt eosve ad reactiones cogunt quibus impedimenta actionum amoventur. Haec non modo pharmaceutica sed etiam diaetetica sunt, imo videmus nec regimen aptum antiparalytica virtute esse destitutum. Quod regimen attinet, quicunque influxus nervos recreant, insigniter autem aliquo stimulo, antiparalyticam

virtutem testabuntur. Itaque quia saepe mechanica vis aut qualitas stragulorum, paralyses vel prodocunt vel saltem fovent, regimen votis therapiae adaequate erit mutandum. Somnus etiam et vigiliae motus et quies, sensuum in- et externorum exercitium, veneris usus ita erit gubernandus quemadmodum morbus expetit. Aërem sereum purum, tensione electrica ditem, praecipue locorum altiorum nervos insigniter reficere scimus. Diaetetica sint aromatica, acria, salina, et corpora indolis irritantis. — Ex pharmaceuticis praeparatis antiparalyticam virtutem *Stimulantia et Narcotica* praeseferunt. Stimulantia, quia directe acuunt nervorum energiam; Narcotica, quia reactione quam ex organis centralibus ciere solent novo impulsu subflaminatam vim nervorum intendere nituntur. Singula autem horum et illorum pharmacorum, quia in singula organa specifico nisu vehuntur uti superius notatum est, distinctis etiam indicationibus obtemperant.. — Maxima, potentissima ut ita dicam vi antiparalytica gaudent *torrens electricus, galvanicus-magneticus.* — Dici possunt Antiparalytica etiam illa remedia specifica singulorum organorum, quae qualicunque principio vitam lanquentem organorum intendendo, circulationem in iis augendo paralysi contraria sunt, ideoque diversa *Diuretica, Drastica, Bechica, Diaphoretica, Aphrodisiaca,* Emmenagoga etc. hoc nomen nonnunquam sibi adrogarunt.

---

# THESES DEFENDENDAE.

---

1. Scrophulosis et Tuberculosis morbus unus idemque.
2. Vitia cordis, sicuti et Rhachitis excludunt Tuberculosim.
3. Non datur in Typho Tuberculosis acuta.
4. Bisulphas Chinini remedium sistit in Typho abdominali a priori et posteriori comprobatum.
5. Temperamentum magis ab educatione quam a partu dependet.
6. In Statu naturae non dari possunt animi morbi.
7. Vinum Proteus, aqua panacea, motus motor medicinae.
8. Cuprum et Zincum interne propinatum processum galvanicum intrinsecus evolvunt.
9. Somnus certissima est crisis?
10. Homo est animal rationale.
11. Non datur virtus remediorum absoluta.
12. Medicus Chirurgia gaudeat; chirurgus contra medicinae studio valedicat.
13. Clinica sunt Seminaria boni in medicina.
14. Falso medicis obiicitur irreligiositas;— nemini maior occasio religionem exercendi.

---